

Bibliothèque numérique

medic@

**Menière, P.. - Num epilepsia aliaeque
convulsiones semper a laesione
organica pendent ?**

1829.

**[s. l.] : Ex typis Huzard-Courcier
Cote : 90975**

16

COMPETITIO AD AGREGATIONEM

JUSSU REGIS OPTIMI ET EX MANDATO SUMMI GALLIÆ UNIVERSITATIS
MAGISTRI INSTITUTA, ANNO 1829.

NUM EPILEPSIA
ALIAEQUE CONVULSIONES

SEMPER A LÆSIONE ORGANICA PENDENT ?

THESES

*Quas, Deo favente, in saluberrimâ Facultate Medicâ Parisiensi,
presentibus competitionis judicibus, publicis competitorum dis-
putationibus subjiciet et dilucidare conabitur, quinto die mensis
Augusti, anno 1829,*

P. MENIÈRE,


CELEBERR. FACULT. PARIS. DOCTOR MEDICUS, HOSPITIORUMQUE EJUSDEM URBIS VETUS
ALUMNUS INTÈRNUS.

Dum, viso epileptico territus, homo corripitur eodem
morbo, quis definire audebit, quid tunc mutatum
fuerit in corpore ?

VAN-SWIETEN.

EX TYPIS HUZARD-COURCIER,
VIA DICTA JARDINET, N° 12.

1829



COMPETITIONIS JUDICES.

Præses. D. ESQUIROL.

Judices. DD. { LANDRÉ-BEAUVAIS.
CAYOL.
FIZEAU.
ADELON.
CHOMEL.
ANDRAL.
GAULTIER DE CLABRY.

COMPETITORES.

DD. MAILLY.	GOÉFARD.
DE FERMON.	BERJAUD.
GUIBERT.	SANSON (Alph.).
LEGER (Th.).	FORGET.
HOURLMANN.	DUBOIS (Ambianensis).
AYME.	ROYER-COLLARD.
BROUSSAIS (Cas.).	VIDAL.
CHANEL.	GUILLLOT.
DALMAS.	REQUIN.
SANDRAS.	GAIDE.

NUM EPILEPSIA

ALIAEQUE CONVULSIONES

SEMPER A LAESIONE ORGANICA PENDENT ?

Prooemium.

Ut quæstionem hanc, quæ nobis sorte obtigit, quàm exactissimè et planissimè absolvamus, necesse est primum ut ipsas voces quibus definitur accuratissimè dispiciamus, ne extrà limites in irritum diyagemur. Habent quippè hæc verba, *læsio organica*, aliquid ambigui et indiscriminati, et ad hujus-ce argumenti perspicuitatem plurimum interest ut quid verè significant definiatur. Hoc est operis nostri fundamentum, hoc totum innititur, neque rectum aliquid concludi potest, nisi hanc primam nostri muneris partem impleverimus. Quo factò et constitutà semel argumenti normà, hoc ipsum ad secundam partem, scilicet *Epilepsiam*, transferamus, simulque intuebimur an hic morbus semper ex organorum aliquà læsione proficiscatur. Postremò in parte teritià, quæ totà in enumerandis variis *convulsionum* generibus versabitur, inquiremus quæ potissimum signa apud demortuos ad symptomata referri possint quæ apud viuentes deprehensa sunt. Tum vero strictum indicabimus quibus ut plurimum ex causis oriri soleant convulsiones, et videre licebit an talis sit eorum morborum natura, ut absque organorum læsione desinere nequeant.

Sic divisà tripartitò quæstione nostrà, primam partem, si placet, intuebimur.

PARS PRIMA.

Quid sit læsio organica ?

Ille absurdè prorsùs dixerit qui, organi cujusdam postquàm crevit, decrevit, perturbata, funditusve extincta fuit actio, nullam huic organo reipsà mutationem inesse profitebitur. Permulta tamen morbida sunt phœnomena in viventibus observata, quæ nullum post mortem suū indicium relinquunt. Quæ res quùm esset à veteribus sæpius observata, *læsiones vitales* appellata est, et nostris temporibus scriptores nonnullos, eosdemque clarissimos, eo adduxit, ut doctrinam hanc à recentioribus derelictam rursùs usurparent. Novissimè etiam dictum est læsionis nomine omnes organorum perturbationes, vel textilium affectiones, pathologicum statum præ se ferentes, comprehendi posse. Indè duplex læsionum genus, vitales scilicet atque organicæ seu perceptibiles. Fatetur quidem auctor læsiones vitales ad organicas plerumque posse referri, et vice versâ; qui quidem tamen discrimen hoc omninò medicinale retinendum esse putat, idèò quod prioris generis læsiones sensibus nostris percipi nequant.

Cur verò ista nobis non probentur, jamjam sumus exposituri. Jam primùm antequàm existant organa, eorum nulla potest esse actio. Porro quidquid est textilibus proprium, id textilibus ipsis profectò adhæret, nec seorsum alterum ab altero existere potest. Ergo textilia neque læsione, neque perturbatione ullâ affici possunt, quæ ipsis sit propria. Contra hæc munia, cum actioni et organorum sint planè obnoxia, si quid in structurâ et compositione partium perturbatum fuerit, necesse est ut eo ipso afficiantur. Ergo vitales esse læsiones absque organicis læsionibus immeritò contendatur.

Temporum omnium experientia probatur permultis in morbis ex organorum contemplatione attentissimâ quidem nihil inno-

tescere posse de causis quæ eorum actioni obstiterunt. De argumenti illius pondere et veritate disserendum est.

Anatomia pathologica mirum in modum progressa est præsertim per annos triginta proximè elapsos. Ducentis autem annis ex quò exorta fuerat, scientia illa, quam fastidiebant aut ad quoddam doctrinæ genus confirmandum convertébant, multi medici, observationibus quibusdam, tardis quidem, at certis, ditescebat. Ad perfectionem tendebant investigationis rationes et, ineunte novâ artis medendi ætate, hanc viam quùm diligenter sequerentur selectissimi viri, invaluit indagatio, et tanto ardori plurima merces contigit.

Morbos apud veteres nomine *vitales*, seu ad nervorum affectus pertinentes, nullâ omninò à priscis medicis constat explorationes dignas fuisse visas. *Morbi sinè materiâ*, ut temporis istius vocem usurpemus, nullam organorum læsionem afferre debebant, et quùm illa prævaleret sententia, non introspiciebatur cadaver. Schola tandem apparuit philosophica : dubitare didicerunt medici, facta rectè observata constituendis opinionibus opus esse censuerunt, et necropsiis sese ardentè dediderunt. Hic in contrarium res abiit, propter illam ingeniorum proclivitatem quæ nihil jam, nisi physicum et sensibile admittebant. Physica seu Chemica analysis corporibus adhibita viventibus, perturbationes detegendi non solam rationem præbet : quod propositum brevi adjuvabit argumentum.

Quidquid id est, simul ac crevit textilium normalem seu abnormem naturam examinandi scientia, sensim nosologicis à tabulis affectiones multæ recessère. Alias antèa vitales, seu ex nervis pendentes, habitas ad læsiones organicas referri placuit, ad quas verissimè pertinebant. Neque dubium est quin simul atque in hoc studio proficiemus, multorum adhuc latentium morborum causa detegatur. Vix sanguinis depravationes tam diù speculative admissas, agnoscere incipimus. Nondum certi quidquam habemus de *innervationis* rationibus, neque est undè hujus rei gravis-

simæ quidem perturbationes dignoscemus. Humanæ mentis fines imponere conatibus temerarium esset. Quod paucos intrâ annos tulit punctum nos sperare sinit fore ut longius eat, et scientia utilior fiat humano generi, simul ac latius proferetur. Præsenti autem scientiæ in statu, culmina deserere decet et quàm exactissimè facta perpendere conari. Atqui ne irrita contendamus, nec discussionibus aditum patefaciamus, quæ opinioniones non penitus adhuc constitutas sequuntur, necesse est ut læsiones organicas sensibus nostris percipiendas esse perturbationes consentiamus. Læsiones verò sensibus non perceptibiles veluti constantes habemus: cujus rei probationem invenimus in phænomenis quibus se denuntiant. Quamvis læsiones has demonstrare nequeamus, non ideò constat illas non existere, dum contrâ nobis ad certam probationem valent symptomata quibus indicantur. Quod si cerebro-spinalè systema hominis rabie perciti, nullam reipsâ læsionem præfert, non, nostrâ quidem sententiâ, certum erit hunc apparatus non edidisse convulsiones seu spasmodica symptomata horrendi hujusce morbi. Quæquæ autem sit causa quæ cerebrum affecit, eam tantummodò dicemus, seu ad organicas læsiones prodendas tempore caruisse, seu non ita egisse ut ejusmodi læsiones offerret. Quæ quidem sententiâ non hypothesim exprimit: reipsâ spasticis in plerisque morbis diuturni temporis ea causa cujus ingruit actio, cerebrum parat ad varias læsiones quas postea ducunt medici tanquàm morbi causas, dum sæpissimè effectum ostendunt. Pleræque læsiones organicae quas in Comitialium cerebro invenimus hoc indicium ferunt: sed secundam muneris nostri partem ne invadamus.

Quod suprà de læsionibus organicis diximus, sequentia proposita mihi confirmare videtur.

1°. Muneris cujusque læsio, organi læsionem necessario indicat.

2°. Non omnis muneris læsione producit organica perceptibilis læsio.

PARS SECUNDA.

Nùm Epilepsia semper à læsione organicâ pendet?

Necesse equidem foret, si optimè quæstionis hâc de primâ parte disserere velim, ut accuratè à primis de epilepsiâ notionibus incipiens, universam deinde hujus morbi historiam complecterer. Quod autem suscipere arduum opus minimè licet. Quasdam partes præcipuas solummodò tractabimus. Primum symptomata, dein cadaverosas læsiones, usquè ad hoc tempus exploratas perpendamus; tum colligere licebit quodnam sit vinculum inter prius dicta, et morbi causas. Hoc facto, conclusionem assequi valebimus.

Hi persæpè epilepsiâ laborant qui tentantur vel nervosis affectionibus, vel alijs morbis affinis. Quemadmodum epilepsia rarissimè in hominibus absolutâ sanitate gaudentibus evolvitur, ita ejusdem morbi paroxysmi rarissimè ingruunt, quin quivis eorum quodam signo annuntietur. Generatim signa paroxysmi prodroma sunt: sensus formicationis nunc in universo corpore, nunc unâ tantum in parte; dolor aut sensus abnormis in quodam loco ad caput subitò ascendens, vel interdum descendens et in epigastrio desinens. Paroxysmus autem clamore aut ejulatu sæpenumero insignitur. Egrorum pars maxima illicò humi prosternitur; muscoli ad unum propemodum contractione laborant; aliquoties pars corporis dimidia solummodò corripitur; spuma tenax, alba, sæpè cruenta, ore expellitur; stridor fit dentium, lingua dentibus vulneratur; plurimi rhonchos ducunt et stercore prehensi, suffocari videntur. Deficiunt sensus, et ab initio miser jam nullius conscius est. Multa adhuc supersunt, sed iis satis est ad propositum.

Ex quibus consecrarium est, ut in cerebro vel in spina, sed præsertim in cerebro, quædam læsio organica efficiatur antequam

epileptica tentatio ingruat. Quiquidem *status* illis ægrotantibus communis, maximi momenti est, quod, si cùm sequentibus conferatur, res explicat difficillimas quæ negligentius exploratæ sunt.

Reipsâ vulgò dicitur cadaverosis autopsiis minimè morbi sedem et naturam dignosci posse. Confirmabitur autem epilepsias quæ æstimatæ sunt organicis læsionibus perceptibilibus carentes, rarissimas esse, et sæpius istas, læsiones permultas et gravioras inventas esse. Pleræque illorum sanè non sunt morbi signa anatomica, nam haud absimiles apud quosdam fuerunt repertæ, etiam non epilepsiâ laborantes. At fatendum est easdem vinculo proximo cum epilepsiæ causâ esse conjunctas, quippè quæ hujus influxu sese explicaverint.

Quasdam nunc organicas attendamus læsiones quæ epilepsiam sequuntur. Rectè exposituri hæc facta quæ permultæ sunt, collocabimur ordine, prout ad cerebrum pertinent, vel ad spinalem medullam, vel ad nervos propriè dictos, aliave ad organa. Cl. *Henning*, in suo eximio opere, cui titulus est : *Analecta litteraria Epilepsiam spectantia*; *Jos. Frank* et *Harles* permultas enarrant observationes quibus probatur plerisque epilepsiâ laborantibus, graviores inesse læsiones. Ecce nonnullas quas ex numeris percepi.

Epilepticorum encephala exhibuerunt *crania* parva, peculiari modo conformata, crassa, cum fronte planâ, tabulâ internâ incurvatâ, vestigiis violentiarum quondam perpessarum, sincipite complanata, intumescentiis cartilagineis, tophiis, exostosi; carie globulo solopetario intra ossa cranii hærente;

Duram matrem cranio firmiter adhærentem, à laminâ osseâ irritatam, erosam, densam, et partim ferè cartilagineam, asperam, cum tumore et excrescentiis scirrhis, fungosis; abcessu, concrementis calculosis; ossiculo in falce cerebri, et in tentorio, et à basi surgente;

Arachnoideam densam, huc et usquè crustâ semi-cartilagineosâ sparsam, siccam, tenuissimam;

Piam-matrem justo crassiorem, coloris cærulei, cum tumoribus spongiosis; vasa sanguinea repleta, calculos, vesiculas inter meninges et peculiariter in plexu choroïdeo; membranarum concretionem cum cerebro;

Cerebrum siccum, durum, quasi petræum, minutum, molle, pulaceum, aquosum, partim in gelatinam conversum; laxum simulque tenax; tuberculosum; cum callo, nodo, scirrhuso, steatomate, osse, globo tormentario, tumore cystico; substantiam erosam, sero bruneo, vel pure repletam; ulcus, sphacellum, serum copiosum in ventriculis; vasa sanguinea ad basim cranii variis in locis ossificata; glandulam pinealem et pituitariam abnormes;

Cerebellum cum tumore, abcessu, osse aut tuberculo; justo mollior aut durior;

Medullam oblongatam, duram, ferè cartilagineam, flavam aut nigricantem; mollem aut semi-corruptam.

Medulla spinalis detecta est modo mollior, modo durior, membrana illius serosa concretionibus cartilagineis sparsa, specialiter à Cl. Esquirol; membrana vascularis brunei coloris, cavitates internæ vel externæ sero acri repletæ, etc.

Exhibuerunt *nervus phrenicus* in medio curriculum sui et propè diaphragma tumores scirrhusos; *nervus vagus* tumorem similem; *nervus ischiaticus, cruralis*, concrementa varia. Epilepticorum unus *nervos olfactorios* firmissimos habuit.

Epilepticorum *pulmones* observabantur flaccidi, velut humoribus destituti; *cor* magnum et cum pericardio concretum, illius parietes crassiores cavitatis diametro imminuta, concretiones plasticas continens; *ventriculus* tenax, erosus, inflammatus; *intestina* vermibus variis farta; cum monetâ quondam deglutitâ, ad valvulam coli hærente; cum concrementis carnis. *Mesenterium, hepar, vesicula fellea, lien*, plus minusve abnormia sæpè reperiébantur, nec non et *renes, uretheres, vesica urinaria* et peculiariter *genitalia*.

Quâ ex immensâ læsionum catervâ, conficitur ut sæpissime cerebrum vel partes annexæ apud quosdam solummodò epilepticos læsa reperta fuerint, ut apud alios læsiones gravitate variæ exstiterint in organis inter præcipua haud immeritò numeratis, sed quæ musculos ope tantum nervorum cerebri spinæ concitant. Ut plura omittam, Jos. Frank, qui nobis plerasque præbuit indicationes quas suprà diximus, insignibus his verbis hanc selectissimorum auctorum revisionem perficit.

« Contenditur tandem cadavera epilepticorum, in quibus *nil planè morboſi* reperiatur, aperta fuisse. Quin aliorum observationes in dubium vocemus, liceat tamen animadvertere nos in omnibus hujus generis pervolutis historiis, ne unicam quidem invenisse, ubi sectio cadaverum quo requiritur modo, locum obtinuerit. Ut nempè contendere possimus cadaver epileptici nil morboſi exhibuisse, opus est ut cerebrum non solum, sed et medulla spinalis, necnon singuli nervi, eorumque plexus et ganglia, cum partibus annexis, sedulò perlustrentur. »

Ex omnibus antè scriptis jam concluditur, è læsionibus organorum permultis, tum naturâ, tum sede variis, epilepsiam pendere. Indè cogitandum forsàn esset nullam ex his læsionibus verè primam morbi fore causam; invitò enim tot variæ causæ uni effectui conceduntur.

Istâ primâ conclusione experimentis haud dubiis confirmatâ, ut in illâ confirmationem efficiamus, studio causarum excitantium et prædisponentium nova exposcemus argumenta. Prædisponentes primùm pertentamus.

Prædisponunt ad epilepsiam : vitium hereditarium, congenitum, idiosyncrasia, ætas juvenilis, infantilis, pubertatis epocha, sexus femineus, ingenium altum, perspicax. Quæ causæ prægumenæ maximam in epilepsiâ generandâ sibi vindicare videntur partem, cum inter causas excitantes nec unâ inveniatur, quæ pluries, quàm epilepsia subsecuta sit, non egerit.

Causæ excitantes sunt numerosissimæ. Omnes physicæ im-

pressiones vel morales enumerandæ forent ; attamen quarum omitemus recensitionem. Dicere sat erit plerasque spectare ad commovendum vel graviter stimulandum nervorum systema. Sic unâ cum Jos. Frank dicemus : « Si simplicissimæ licet febris causam proximam adhuc ignoramus, quid mirum si eamde mignorantiam circa intimam naturam morbi adeo intricati ut epilepsia, fateri adigamur? »

In hac igitur novâ viâ nil nobis lumen præfert ut veras epilepsiæ causas teneamus; illaque externarum impressionum multitudo non magis efficit quàm læsionum organorum indagatio, ut medica hujusce horrendi morbi peculiaris retégatur natura. Silentio tamen præterire non debemus *idiosyncrasiam*, inter causas excitantes jam notatam. Nisi enim admittatur peculiaris idiosyncrasia de effectu multarum causarum epilepsiam aut illius paroxysmos excitantium, nulla planè ratio reddi potest. Singularis ille status ad quem ultimo perfugiunt nonnulli ingeniosi homines qui adduci non possunt ut cujuslibet generis morbos è materiâ ortos habeant, forsitan nihil aliud est nisi organorum læsio non perceptibilis, vel potius nondum percepta. Quæquidem læsio, hærenti perseverentiâ actionisque reditu, plus minusve celeriter organicam materialemque læsionem efficit quæ horum omnium vitiorum ut vera causa recognoscatur. Planè comperitum habetur in nonnullis locis epilepsiam omninò esse adventitiam. Quosnam enim subito invadit, antè accessum integrâ florentes valetudine, decessioneque factâ, iidem homines iterum ad firman redeunt sanitatem. Moralis illa commotio, hujus casus plerumque causa, organicamne læsionem in cerebro gignit? *Non*, sinè dubio, ex vulgari hujusce vocis sensû, sed certissimè *ita*, pro sententiâ magis latâ et logicâ et philosophicâ quam ab initio sumus professi. Cæterum concedimus inter causas epilepsiæ dari haud paucas, à quibus effectus evidentes in textum corporis neutiquàm expectari licet. Cl. Van-Swieten sapientissimè dicebat: Dum, viso epileptico territus, homo corripitur

eodem morbo, quis definire audebit, quid tunc mutatum fuerit in corpore? Et paululum infra ad confirmandam sententiam, mirificum istud casum adjunxit : « Quis dabit rationem, quare nobilis femina, toto graviditatis tempore, epileptica esset, dum marem utero gestaret, minimè vero, si sequioris sexûs fœtum? »

Hoc igitur fatendum est, et in eâ re maximè egregia ingenia sequi licebit, extitisse epilepsiam, nullâ hujusce rei rationem reddente læsione organicâ, non in casibus tantum quos Cel. *Willis* et *Tissot* retulerunt, sed etiam in multis aliis, quæ inventæ sunt læsiones, non tanquàm causa, sed quidem ut morbi casus eventusque haberi debuerunt. Scilicet hoc persuasum habentes, multi auctores, tum antiqui tum recentiores, primam epilepsiæ causam in iis quæ maximè emineant organismi attributionibus posuerunt. Galenus, Alexander Trallianus, Paulus Ægineta, Coelius Aurelianus, Carolus Piso, Felix Plater, et denique *Willis*, celebris et sagacissimus ille theoriarum subtiliorum circa systematis nervorum morbos conditor, inordinato cuidam nervosi spiritûs motui epilepsiam tribuerunt, sive idiopathicus esset ille motus, sive sympathicus. Etiam si sympathicas epilepsias existere negaverint auctores multi, et hanc sententiam in controversiam venire non posse statuerint, cerebrum solum esse organum quo incitetur paroxysmus, negari tamen non potest, in multis casibus, paroxysmum ab aliquâ fonte oriri quæ sæpè in organo prorsus alio ab orbe in quo agatur distante, sedem habet. Qualicumque modo explicetur ista varietas *auræ epilepticæ*, quæ in omnibus constitutionis punctis apparet, illa tamen ad eandem semper causam, id est, ad quemdâ inervationis tumultum referenda erit. At illa quidem sententiâ, ut suprâ diximus, quamquam in contraversiam venire non possit, non physicè tamen demonstrari potest, igitur et illius etiam læsiones demonstrari non poterunt.

Igitur ut paucioribus verbis dicam, nihil de intimâ epilepsiæ

naturâ certum noscimus, quod si illa tantum nervosus morbus appelletur, non definito verborum istorum sensu, nihil certè proferimus. Si verò, cujusdam recentioris medici exemplo, illam tanquam intermissam cerebri irritationem habere placuerit, etiam de verbo *irritatio* conveniri debet, et prætereà non certa prorsus phœnomenorum morbi reddetur ratio. Cum in plerisque casibus, æger non mentis est compos, et etiam labitur antequàm ad cerebrum perveniat *raptus sanguineus*, fateamur ergò nos nihil de re illâ scire undè satisfieri possit, et cum doctissimo et prudentissimo Frank adjiciamus : « Ignorationis ista candida professio non impedit, quominus, duce experienciâ, conjecturas plurimas circâ sedem et indolem epilepsiæ in medium proferre possimus, quæ saltem conjecturæ viam praxi rationali quandoque felici aperire valent. »

Si non ad tempus respiciendum esset, si non res cum tempore metienda foret, jam multa alia historiâ epilepsiæ occurrerent, quæ, ad ea quæ suprâ diximus confirmanda plurimum valerent. Tum ex observatis symptomatibus ac perspecto differentiali diagnostico nec non et pronostico, tum ex curatione his adhibita, plurima parent è quibus non nihil lucis in rem de quâ nunc agitur redundaret.

Hoc unum vero dixerimus, his omnibus attentè ac salvâ fide exploratis, nullam aliam nos assequi posse finem, quàm quæ prius enuntiata est. Variis in quas hic cadit morbus formis, et iis quæ ipsi cum cæteris nervorum affectibus communia sunt, et innumeris therapeuticis rationibus quibus impugnari solet, quamquàm in vanum sæpissimè recidant, satis constat, plurimum abesse ut hic singularis affectus semper organorum perceptibili læsione pendeat. Organicum systema, dùm gregatim respicitur, ut potè quibusdam majoris momenti facultatibus præditum, aliis organorum systematibus habendum est. Hoc uno, si ad materiam spectes, amplissimus phœnomenorum ordo stat, et propter eam quam petit finem, variis affici potest læsionibus quartum princi-

Pium et finis pariter nos effugiunt. Plurima prætereà, dum accedit epilepsia, occurrunt symptomata; alia corporea, crassa, quæ et in multis aliis morbis similiter reperiuntur et ab influxu cerebri spinæque medullæ proximè pendent; alia quæ ad sensuum mentisque vices pertinent, et propter hoc, in alio loco geruntur. Hic vero suscepti operis facienda finis est, enuntiatis tantum quæ introspicere non licet.

Ergò ex omnibus iis quæ suprà diximus, meritò concludi potest :

Epilepsiam non semper à læsione organica *perceptibili* pendere.

PARS TERTIA.

Num aliae convulsiones semper à læsione organica pendent?

Quod nosologistas hæc appellatio, *convulsiones*, indiscriminatim complectitur morbos complures inter se cum naturâ, tum sede mali discrepantes. In dictione medicali verba hæc, *convulsio* et *spasmus* unum propè et idem significant; undè oborta est nova rerum confusio quæ, nisi strictè definiatur utraque vox, terminari nunquàm potest. Quâpropter vocem hanc, *convulsio*, propriè adscribendam putavimus his contractionibus involuntariis musculorum externorum, seu à systemate cerebro-spinali pendentium, unam tantum exceptionem huic normæ adhibentes, nempe spectantem ad quædam organorum systemata quorum proprietates jampridem penitus innotuère ac determinata sunt.

Enim verò satis constat quamlibet musculariam contractionem quæ directè per quemdam muscolum, indirectè sed necessario per nervos, medullam ac cerebrum manifestatur, proficisci debere à læsione alterutrius harum ce partium. De hoc principio cum disputare nequeat, ad ipsius applicationem transeamus.

Inter convulsiones, quædam videntur solummodò à musculis pendere; hoc est, contineri uno loco et quasi puncto apparatus

muscularii; ad quas retrahendus est affectus ille vulgò dictus *crampe*, cujus, quamvis teneamus leges aliquot secundum quas progreditur, causam tamen perspicuè nequimus intueri. Haud secùs de *singultu* et de quibusdam *strabismis* partitò aut obiter apparentibus, contractione de orbiculi palpebrarum, etc., etc. Ut verò convulsionibus afficiuntur plures nervi, sive dimidium corpus, tum, inquam, licet conjicias morbum aut à cerebro, aut à medullâ spinali proficisci; quippè cum nervus aliquis specialiter læsus est, ut fit, accepto vulnere, omnes muscoli quibus prior ille distribuitur, necesse est commoveantur convulsionibus. Hic usquè ad rem adhæret rei explicatio; at penitus magis scrutandum.

Persæpè mens urgetur affectibus qui cerebri actionem augent, quod quidem per crebrescentes et insanos etiam motus revelatur; sic, exempli gratiâ, artus frigore contremiscunt, dentes quatiantur, cutis titillatio risum excutit convulsionibus affinem; istæque causæ profectò inter se discrepantes, muscularium systema commovent. De gravidarum et parturientium convulsionibus, seu *Eclampsia*, atque permultis aliis similibus disseruerim, quas satius duco silentio præterire. Improvisus pavor *Choream Sancti-Viti* parit; illam virginem, si virum aspiciat, angor invadit *Hystericus*; illam, inexpectatus mœror deducit ad *Catalepsim*. Hæ peculiæ formæ dimanant à causis inter se convenientibus, verum quæ diversè agunt secundum hominis idiosyncrasiam, nec jam intelligere licet nobis quâ ratione cerebrum aut medulla spinalis modificata fuerint, quamvis clarissimè pateat morbi radices his organis infigi.

Nonnullæ causæ etiam magis peculiæ gignunt phœnomena pariter quidem convulsiva, verum multò graviora. Corporis sudore diffluentis subita refrigeratio, sæpissimè habita fuit causa excitans hujus generis *Tetani* quod *spontaneum* cognominant. Quædam exempla, fateor, in hoc casu phlegmasiarum cerebro-spinalium existentiam demonstrant, quæ certò rependere possemus totidem

exemplis in quibus ista organa inventa sunt integra illæsaque. Cum porro convulsiones characterem mutant et prorsus diversum sumunt, nam temporis intervallum alteram convulsionem ab alterâ convulsione separans, magis ac magis decrescit, lethumque citò adsit. Ipsum tetanum traumaticum rarissimè comitantur organicæ læsiones è quibus stricte pendeat.

Præterea quid de *Rabie*? In horum infelicium exuviis alterationes notatæ fuerunt quot et quantæ! Nulla autem ad hanc usque diem constans sibimet reperta est, quæ seriem convulsionum explanaret, quarum frequentia in horas crescente, æger è vitâ ad mortem deflectit. Ipsemet hydrophoborum cadavera octo aperui, nec in ullo potui deprehendere læsiones cerebro-spinales aut in nervis infixas quæ convenirent cum stupendis phenomenonis dum viverent adhuc observatis.

Sunt adhuc plures morbi multifarii qui ex eadem fonte oriuntur, et quorum sufficiet indicatio. Neonati, tot inusitatis stimulis expositi, convulsionibus sæpissimè corripuntur; horum morborum causæ quæri debent in meconio retento, aut in pravâ lactis conditione (nutrice menstruante, coïtu aut vino perturbatâ, aut irâ, aut mœrore, etc.), in frigore, in odoribus virosis, aut vestimentis justo arctioribus. Ad spasmos proclivitas crescit sub intrante dentitionis in periodo. Pavores sub somno, impetiginum retropulsiones, et varii affectus ad infimam dentitionem repetuntur. Seriùs, pubertatis ætas, ad mares abusu, ad feminas abstinentiâ, morbos istius modi provehit. Non obliviscendum est, ex glandulis mesaraicis aut tabe aut strumis tentatis, et ramusculis nerveis cum plexu solari junctis, multa symptomata nervea excitari posse.

Jam cyclum peregrinus morborum convulsivorum qui ab organica læsione perceptibili non pendent. Nunc ordinem redintegrantes, aliquot ex iis qui à læsionibus proficiscuntur apparentibus, scrutemur.

Inflammatiô *piæ-matris*, quam falso plurimi nuncupant *arach-*

noctiden, velocissimè convulsiones parit quæ primùm intra certos limites alicujus loci definitæ, mox latius prorumpunt et systema muscularium ferè totum occupant. Phlogosis hujusce textilis præcipuè vascularii, accedit ac cerebri corticalem substantiam, undè nascuntur perturbationes munerum maximè diversæ. Scilicet muscoli vultûs, oculorum, buccæ, maxillarum collique contrahuntur convulsivè aut irregulariter. Progreditur morbus, encephalum penitus exardet et jam manus et brachia, jam universa machina convulsionibus laborant. Hæc in pluribus casibus phænomena deprehendas; sed quoad formam, intensitatem et continuationem adeò parùm sibi constant, ut contra in infinitum modificentur. Hic etiam ratio est habenda istius *idiosyncrasia* tot valentis in quolibet convulsivo morbo. Et enim symptomatum gravitatem aut characteres malè retraxeris ad causam, sive materiale, sive morale, quâ cerebrum afficitur, quæ reverà pertinent ad peculiarem hunc statum subtiliorem quàm ut sensibus percipiatur, aut physicâ demonstratione graphicè depingatur, qui vero longo usu et clinices experientiâ tandem innotescit.

Involuntaria muscoli contractio, seu convulsio, cum à nullâ læsione organicâ perceptibili pendet, discrepatne maximè à convulsione pernunciante encephali phlogosim? Quilibet medicus artem suam tractandi peritus sanè promptum habebit quomodò solvat hanc quæstionem, ut quæ quotidie factis solvitur; verùm hanc nonnullis ambagibus intricatam reperiens simul atque logicæ analysi tentaveris eam submittere. Reipsâ motus Choreæ Sancti-Viti acres et irregulares, haud aliud sunt quàm musculariæ contractiones voluntati adversæ et breves, quæ passim obviam sunt et in Carphologiâ ægri Menyngitide acutâ laborantis. Sua unicuique horum morborum quidem sunt propria signa, ea verò ut separatè considerata remotisque cæteris adjunctis reperiantur sibi invicem consentanea, aut saltem cognata. Atamen, quanta cerebri differentia apud ægrotantem utrumque!

Ferè omnes convulsivi morbi ad similem conclusionem facile perducerent.

Unum verò imprimit eis proprium characterem, modus scilicet quo conjunguntur cum *Vesaniis*, undè colligere fas est convulsiones istas originem ducere non ex eâdem regione ex quâ phænomena physica suam ducunt, verùm è superiori quâdam. Cognatione inter epilepsiam, maniam, dementiam, idiotismum observatâ, comprobatur venit exstare etiam cognationem inter causas horum ce morborum effectis adeò discrepantium. Quid mirum ergò si communis hæc causa quæ materialis est, haud potest percipi? An nulla existimanda est materiæ ratio in phœnomenis omninò materialibus? De historiâ horum morborum, hæc dixisse sufficiat; non enim nobis est ea mens ut aliena proposito nostro usurpemus et objectiones quas respuit, angariemur.

Quamvis statuerimus sensum hujus vocis, *convulsio*, limitare dùm illam solummodò adhibemus systemati musculario-cerebrali, tamen haud temperare possumus quin eodem verbo complectamur læsionem ejusdem naturæ quibus afficiuntur quædam organorum systemata imperium voluntatis effugientia. Cordis saltationes permultis in casibus sunt clarè convulsiones, quarum causa materialis sensibus percipi non magis potest quàm causa morborum de quibus facta superius mentio. Quin imò è doctissimis experimentis Cl. Laennec, constat ipsos arteriales truncos posse localibus convulsionibus affici, spasmis etiam quorum vir ille inclytus haud semel auctor ipse sibi et exemplum factus est.

Sunt etiam organici quidam apparatus quorum analogia structuræ et proprietatum cum systemate musculario coalescit. Tela fibro-cellulosa cohibens asperæ arteriæ cartilagine et quæ pulmonare parenchyma adusque vesiculas bronchiarum promovetur, contractionum seu spasmorum convulsivorum sedes videtur, è quibus oriuntur affectiones vulgò dictæ: *coqueluche*

pseudo-croup, *asthme suffocant*, etc. Nunc non plura rimabimur de his morbis peculiaribus, in quos maximè influit systema nervosum.

Priusquàm hanc disputationem claudamus, ultima se præbet cogitatio de naturâ causarum undè nascuntur convulsiones. Animadvertendum fuit similes convulsiones plerumque manare è locali seu generali *stheniâ*, tum innervationem augescere. Procul dubio enim horum organorum vitalitas aliquâ influente causâ augeri, quomodò igitur tunc explanaveris convulsiones in adjunctis omninò differentibus apparentes? Notum est cui-libet vehementes sanguinis effluxus *astheniam* generalem immediate parit. Singula organa, inter quæ cerebrum, peculiarem suum stimulum amittunt, et nihilominus quamdiù effluxit fons iste vitalitatis, musculari motus, et vehementissimi quidem manifestantur. Illud phænomenon, de quo nonnulli conati sunt rationem explicare, causando quasdam vires quas sola admittit imaginatio, salutarem prudentiam injicere debet illis qui dubitare nesciunt. Multum abest ut omnia organismi arcana introspicere nobis liceat; sufficiat naturæ observatio, diligens ac pervigil studium et fortasse ista nos olim deducant ad percipienda vincula quibus organis functiones devinciuntur.

CONCLUSIONES GENERALES.

Ergò è præmissis sequitur :

- 1°. Læsiones functionum absque læsionibus organorum non posse admitti logicè;
- 2°. Rationi esse consentaneum, cùm morborum sedula indagatio quotidie nobis aliquot ex illorum signis anatomicis patefaciat, sperare fore ut novi conatus, novas notiones excudent;
- 3°. Quotidianâ experientiâ demonstrari quòd plures functio-

num læsiones , peculiariter in morbis convulsivis , nullam ponere relinquant organicam alterationem perceptibilem ;

4°. Quia in hujusmodi casibus , nulla deprehensa est organica læsio , non ideò nullam exstare organicam læsionem , sed eam tantummodò nondùm deprehensam fuisse.

5°. Quæ ubi admiseris , necesse est concedas , epilepsiam aliâque convulsiones non semper à læsione organicâ perceptibili pendere.

FINIS.

Errata.

Pagina 4, linea 16, nequant, *lege* nequeant

11, 26, firman, *lege* firmam